



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio XIV. De defectibus Corporis à Christo assumptis. In quatuor
Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](#)

88 Quæst. 14. De defectibus Corporis à Christo assumptis. Art. 1. 2. 3.

priā virtute vel naturali vel supernaturali. Secundò, Quidquid voluit, tamquam diuinā virtute adimplendum, potuit ut instrumentum Verbi, siue potuit per eandem virtutem sibi unitam, & per se applicatam. Ratio est, Quia non decet ipsius Sapientiam, ut aliquid velit, quod non possit. Sed est

D V B I V M.

An voluntate absolutā, Anima Christi aliquid voluerit ut implendum per alios, quod tamen non sit executioni mandatum?

19
Ratio ducit
bitandi.

Caiet.
negat.

Absoluta
Christi
voluntas
semper
fuisse effi-
cax.

Ratio dubitandi est, Quia Marci 7. v. 24. dicitur quod ingressus domū, nemine voluit servire; & tamen non potuit latere. Ex quo loco probat Agatho Papa in epist. ad VI. Synodū in Christo fuisse humanam voluntatem; quia quod voluit, non implebatur; cùm tamē diuina voluntas semper impleatur. Et confirmatur; Quia Christus vollebat homines conuersti, saluari, non peccare &c: quod tamen in multis nō fiebat. Ob has rationes Caietanus admittit Animam Christi aliquid absolutā voluntate voluisse per alios implendum, quod tamen non est effectum.

Sed longè verius est contrarium. Quod probatur Primo, Nam voluntas humana Christi, erat voluntas Personæ diuina: ergo omnino decebat ut semper fieret, quod absolutè vellet. Absurdum enim est, ut id quod Deus at solutè vult, non fiat. Secundo, Christus euidenter videbat, an ēset futurum: ergo si certò videbat opus non futurum, valde imprudenter illud absolutè voluisse: imo

impossibile erat absoluē velle, nisi respectu quorundam medianorum adhibendorum. Qued enim tertò scitur non futurum, censetur tamquam impossibile. Vnde etiam nō mo prudens ad hoc conatur. Tertiò, Si Christus aliud vellet absoluē vt homo, aliud vt Deus, esset in ipso contrarictus voluntatum, multò magis quam sit in nobis. Quartò, Voluntas absoluta impletur in omnibus Beatis, nihil enim absolutè volunt quod non fiat; vt communiter Doctores: aliqui possent contrari. Ergo multò magis in Christo. Quinto, Christi Anima nihil poterat absoluē velle, nisi quod ei aliquo modo erat possibile, vel virtute propriā vel diuinā: ergo id semper fiebat.

Ad Argumentum in contrarium; dicendū est, Christum non voluisse omnino absolutè latere, id est, per omnem potentiam, quam adhibere poterat; sed absolutè quodā modo; id est, secundū omnem potentiam quam industria humana poterat adhibere. His enim omnibus adhibitis, quæ humana industria p̄f̄st̄ poterat ad latendum, non potuit occultari. Colligitur autē inde in Christo fuisse voluntatem humanam: quia tribuitur ei quod aliquid voluerit aliquā voluntate, adhibendo omnem potentiam propriam illius voluntatis, & non potuerit. Quod c̄ voluntate diuinā nullo modo potest dici: quia quidquid h̄c vult adhibendo omnem potentiam sibi propriam, id sit. Ad Confirmationem: Christus non volebat absolutā voluntate, ut homines conuerterentur, non peccarent: &c. sed conditionatā, & per modum operantis.

ad ratio-
nem dubia
tandi.

Q V A E S T I O X I V .

De defectibus Corporis à Christo assumptis.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

*Vtrum Filius Dei in natura
humana assumpserit defe-
ctus Corporis?*

Vult con-
veniens.

R Esonderetur: Conveniens fuit ut Filius Dei assumeret defectus Corporis. Primo, Propter finem Incarnationis, venit enim in mundum ut pro nobis satisfaceret: satisfactio autem fit per opera penitentia. Ergo Corpus ipsius debebat esse capax peccarum. Rursus, Satisfactio pro altero, requirit ut penas peccato alterius debitas, in te suscipias: atqui defectus corporis, ut fames, siti, fatigatio, mors, sunt penae peccati originalis: ergo Christus debebat hos defectus in se suscipere. Secundo, Ad ostendendum se esse verum hominem. Tertiò, Ad præbendum exemplum Patientiæ. Vide D. Thomam.

Notandum est in Responsione Ad primū, ubi dicitur, *Satisfactionem non esse efficacem, nisi ex charitate procedat:* id intelligendum esse secundū legem ordinariam; ut patet ex supra dictis.

ARTICVLVS II.

*Vtrum Christus assumpserit nece-
ssitatem subiacendi his defectibus?*

R Esonderetur: Christus non coactionis necessitate his defectibus subiacuit; atque adeo nec absoluta necessitate: sed tantum cā necessitate, qua prouenit ratione materiæ seu corporis. Ratio est, Quia Christus voluntariè hos defectus assumpit: si enim voluisset, facile potuisset eos impidere virtute suā diuinā, quā pro arbitrio vtebatur. Corpus tamen Christi tale erat, ut ipsum per se & solitariè consideratum, necessariò his defectibus subiaceret, qui nullis naturæ viribus poterant impidi.

ARTICVLVS III.

*Vtrum Christus contraxerit
hos defectus?*

R Esonderetur: Non contraxit; sed voluntariè hos defectus corporis suscepit. Ratio est, quia huiusmodi defectus non contrahuntur nisi ex peccato. Ad Rom. 5. v. 12. Ferunt hominem in contraria voluntariè, ex peccatum mōs, assumpit. Aduerteret,

Qu. 15. De defectibus Animæ à Christo assumptis. Art. 1. Dub. 89

Aduerte; Hos defectus etiam futuros fuisse in statu nudæ nature; nam sequuntur naturalem corporis compositionem. Non tamen dicerentur tunc contrahi; quia non ex aliqua causa accessoriâ & extrinsecâ traherentur: sicut modo dicuntur contrahi, quia ex peccato consequentur.

Petes; An Beata Virgo dicenda sit contraxisse hos defectus? Respondeo; contraxisse: Quia eti non sunt secuti ex peccato quod habuit; secuti tamen sunt ex peccato, quod habuisset, nisi præuenta fuisset: peccauit enim & ipsa in Adamo. Vnde & necessariò peccatum originale incurrit, nisi præuenta fuisset.

ARTICVLVS IV.

**Vtrum Christus omnes defectus corporales hominum assu-
mere debuerit?**

REspondetur; Christus non assumpsit omnes defectus seu infirmitates humanas; sed eos tantum qui sequebantur naturam, & ex peccato

comuni totius naturæ; nec tamen perfectioni scientie, vel gratiae repugnabant.

Vnde Primò, Non assumpsit ignorantiam, nec proclivitatem ad malum, vel difficultatem ad bonum. Nam eti hæc sequuntur peccatum originale; tamē impedient opus Redemptionis, & delectent Christum, & repugnant perfectioni, scientie, & gratiae.

Secundò, Non assumpsit ullam morbum; vt febrim, apoplexiā, lepram, paralysin &c. quia hi morbi non sequuntur immediatè ex peccato originali, aut ex conditione naturæ nudæ; sed ex particularibus causis, scilicet ex prævâ humorū temperie, vel ex aliquâ imprudentiâ aut ignorantia in regimine corporis. Vnde sequitur Christum naturæ relictum, fuisse moriturum sine ullo morbo, naturali extincione caloris nativi, & consumptio humidi primogenij.

Tertiò, Similiter nec assumpsit cœcitatē, surditatem, aut ullam desformitatem. Nam hæc ex particularibus causis sequuntur: nō autem immediate ex naturâ nudâ, vel peccato originali. Adde; Hac minimè deuise Christum; nec quidquam conferre potuisse ad nostram redemtionem.

QVÆSTIO XV.

De defectibus Animæ à Christo assumptis.

In Decem Articulos dimis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo fuerit Peccatum?

REspoñdetur; Nullum in Christo fuisse Peccatum, nec parvum, nec magnum. Est certum & fide tenendum. Probatur Primò, Ex varijs Scriptura locis Ioan. 8. v. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 14. v. 30. Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 2. ad Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non nouit peccatum, fecit pro nobis peccatum;* id est, hostiam peccati: quomodo Olea 4. Sacerdotes dicuntur manducare peccata populi, id est hostias pro peccatis oblatas. Isaia 53. Qui peccatum non fecit, nec invenit dolus in ore eius. Ad Hebr. 4. Tentatus per omnia pro similitudine absq; peccato. Et c. 7. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus. 1. Petri 2. v. 22. Qui peccatum non fecit, nec invenit dolus in ore eius. Idem patet ex Concilijs, & omnibus Patribus.

Probatur Secundò Ratio: Primò, Christus assumpsit nostros defectus ob tres causas. Prima, Ut pro peccatis satisfaceret. Secunda, Ut veritate naturæ humanæ demonstraret. Tertia, Ut præberet perfectum exemplum omnis virtutis. Atqui peccatum ad nihil horum præstandū iuuabat, sed potius impediens satisfactionem pro nobis, & exemplum virtutis. Dices, Debebat dare exemplum pœnitentie, sicut David: ergo &c. Respondeo; Dediisse perfectissimum exemplum pœnitentie, dolendo non de suis, sed de alienis peccatis; & pro illis satisfaciendo.

Secundò, Christus venit ut omnino tolleret peccatum: ergo non oportebat ut illud admitteret. Vnde ad Hebr. 7. v. 26. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à*

peccatoribus, & excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum Sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit semel, se offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisrandi qui post (Græcè xata, suprà) legem est, Filium in aeternum perfectum.

Tertiò, Christus venit ut daret nobis legem, & ostenderet viâ perfectionis. Vnde Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* si veritatem dico vobis, cur timori. non creditis mihi? Prorsus autem indecens fuisset, si vel contra suam legem, vel perfectionem vitæ, aliquid admisisset.

Quartò, Quia à principio fuit perfectus gratiâ, & visione beatificâ: ergo omnino impeccabilis. Ex his patet, Christus non tantum non peccasse, sed iuxta legem ordinariam ne potuisse quidem peccare. Sed est

DVBIVM.

An nullo modo fieri potuerit ut Christus in naturâ assumpta peccare?

Drvandus in 3. d. 12. q. 2. existimat humanum Verbo unitam potuisse per absolutam Dei potentiam permitti peccare; & hoc peccatum, per communicationem idiomaticum potuisse tribui Deo. Ita ut Deus diceretur peccare, sicut dicitur pati, mori, resurgere. Eandem sententiam insinuat Scotus eadem dist. q. 1. vbi docet ratione beatitudinis Christum non potuisse peccare; non tamen ratione solius unionis. Quamquam Scotus recte posset intelligi, ut nimis loquatur de nudâ vno-²ne, ita ut illius ratione, nullū auxilium proueniat humanitati. Gabriel autem eadem dist. admittit *Gabriel;* quidem naturam assumptam peccare potuisse, sed hoc peccatum Deo non tribendum.

Hh iii Sed

*Nullum in
eo fuit
peccatum.*

*Peccata
sufficiunt.*